

DE TRANSLATIONE
IMPERII ROMANI

A GRÆCIS AD FRANCOS

ADVERSUS MATTHIAM FLACCUM ILLYRICUM

LIBRI TRES

Auctore ROBERTO BELLARMINO e societate Jesu

DE TRANSLATIONE IMPERII ROMANI

LIBER PRIMUS

ARGUMENTUM ET PARTITIO HUJUS LIBRI

Scripturus de translatione imperii Romani a Græcis ad Germanos, adversus mendacissimum librum, quem ante paucos annos de eodem arguento edidit Matthias Flaccius Illyricus, operæ pretium me facturum existimavi, si quemadmodum ipse prolegomena quædem præmisit, ita quoque et ego loco prolegomenorum paucam quædam præmittam tum de contradictionibus, tum de mendaciis ejusdem Illyrici manifestis, atque crassissimis. Ita enim spero fore, ut hominis hujus inconstantia et impudentia patefacta, simul etiam aditus patefiat veritati in aures atque animos illorum, quos jam forte falsitas occupavit, quibusque ille suis artibus, et multa historiarum confusione et varietate, tenebras offudit. Deinde ad rem ipsam aggrediar hoc ordine. Quoniam Illyricus, ut est inconstans, et varius, uno in loco docet non esse translatum imperium Romani Pontificis auctoritate a Græcis in Francos, seu Germanos, in alio vero fatetur id quidem, sed affirmsat injuste et impie factum, essequre hanc translationem præcipuum miraculum Antichristi, propterea primum demonstrare conabor, vere translationem esse factam Summi Pontificis auctoritate; atque argumenta desumam ex consensu omnium historicorum, ex confessione imperatorum, ac principum aliorum, ex testimoniis veterum Romanorum Pontificum, ac demum ex refutatione omnium eorum jurium, vel titulorum, quos adversarii prætendunt. Ostendam enim certissimis rationibus, Carolum Magnum, quem imperatorem Romanum fuisse nec Illyricus, neque aliis quispiam negat, ad eam dignitatem pervenisse, nec jure belli atque armorum, nec immediata vocatione Dei, nec successione hæreditaria, nec dono Græcorum, nec denique electione Senatus Populique Romani: proinde aut Carolum a Pontifice imperium habuisse, aut omnino non habuisse. Deinde planum faciam, id quod Summus Pontifex in hac translatione imperii fecit, rite ac jure esse factum. Addam postremo, ut nihil eorum, quæ Illyricus tractat, prætermisisse videar, de translatione imperii, si tamen translatio dicenda est, ex familia Caroli Magni in Saxones, et de institutione septem imperii electorum.